

42	AAS XXXXV (1953) 312-313	Can. 18 §2 — can. 31 — can. 32 §5 — can. 85 §2 — can. 86 §1 n.2 — can. 1095 §1 n.2 — can. 88 §3 — can. 1097 §2
----	--------------------------	--

# ACTA OFFICIORUM

## PONTIFICIA COMMISSIO

### AD REDIGENDUM CODICEM IURIS CANONICI ORIENTALIS

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE « CREBRAE ALLATAE SUNT » (XXII MENSE FEBRUARIO, ANNO MDCCCXXXIX), DE DISCIPLINA SACRAMENTI MATRIMONII.

#### INTERPRETATIONES AUTHENTICAE

##### CAN. 18 § 2

D. I. — An loci Hierarcha, in cuius eparchia matrimonium celebratur, dispensare possit ad normam can. 18 § 2 a publicationibus matrimonii contrahentes eadem lege adstrictos, diversi tamen ritus.

R. Affirmative, dummodo sit Hierarcha proprius eius qui dispensatione eget.

D. II. — An Hierarcha loci, in cuius eparchia matrimonium celebratur, dispensare possit ad normam can. 18 § 2 a publicationibus matrimonii contrahentes eiusdem quidem ritus ac ipse Hierarcha, qui tamen non sit eorum Hierarcha proprius.

R. Negative.

##### CAN. 31

D. — Cuius gradus in singulis casibus censendum sit impedimentum quod ex diverso computandi modo, orientali vel latino, sit maioris vel minoris gradus iuxta can. 31.

R. Impedimentum censendum est illius gradus cuius est in disciplina Hierarchae qui dispensationem dedit.

##### CAN. 32 § 5

D. I. — An per verba can. 32 § 5 « dispensatio petatur ab Hierarcha viri » excludatur potestas Hierarchae mulieris valide dispensandi ab impedimento quod dumtaxat hanc liget.

R. Negative.

D. II. – An praescriptum can. 32 § 5 applicandum sit si contrahentes eiusdem ritus pertineant ad eparchias diversi ritus.

R. Affirmative.

CAN. 85 § 2

D. – Utrum per verbum can. 85 § 2 « benedictis » intelligatur simplex benedictio an requiratur certus ritus liturgicus.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

CAN. 86 § 1 n. 2

D. – An verba can. 86 § 1 n. 2: « ... sive contrahentes sunt subditi, sive non subditi, *modo sint sui ritus* », collata cum verbis can. 1095 § 1 n. 2 C. I. C.: « ... in quo (territorio) matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt », ita intelligenda sint ut parochus et loci Hierarcha orientalis ritus valeant valide assistere matrimonio duorum fidelium latini ritus, itemque ut parochus et loci Hierarcha latini ritus valide assistere valeant matrimonio duorum fidelium orientalis ritus.

R. Negative.

CAN. 88 § 3

D. – An praescriptum can. 88 § 3 « matrimonia autem catholicorum mixti ritus in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda... » abroget praescriptum can. 1097 § 2 C. I. C. « ... matrimonia autem catholicorum mixti ritus, *nisi aliud particulari iure cautum sit*, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda ».

R. Affirmative.

Datum Romae, die 3 mensis Maii a. 1953.

De speciali mandato Sanctissimi

M. Card. MASSIMI, *Praeses*

L. ☩ S.

A. Coussa, *a Secretis*